Eucli. ex Camp. Propositio 8.

8 OMniū duorū triāgulorū quorū duo latera unius duobus lateribus alterius fuerīt æqualia, basisq; unius basi alteri æqualis duos angulos æquis lateribus contentos, æquales esse necesse est.

CAMPANVS. Sint duo triāguli a b c, d e f: sitq; a c æqualis d f et b c æqualis e f, & a b æqualis d e. Dico ergo qd' angulus c est æqualis āgulo f, & angulus a, angulo d, & angulus b angulo e. Superponā basin a b, basi d e quæ cū sint æquales neutra excedit alteram per conuersionem penultimæ conceptionis. Aut ergo punctus c cadet super punctum f: aut nō. Si sic, tunc quia angulus c superpositus est angulo f, & neuter excedit alterū eo quòd a c super d f & b c super e f cadunt, ipsi sunt æquales per eandem conceptionem. Similiter argue reliquos angulos esse æqua les. Si autem punctus c non cadat super f: cadat super quemlibet aliū qui sit punctus g. quia e g est æqualis b c, imo eadē: itemq; quia d g est æqualis a c: erit d g æqualis f, & e g æqualis e f, quod est impossibile per præcedentē.



Eucli. ex Zam. Theorema 5. Propositio 8

8 Si bina triangula duo latera duobus lateribus alterum alteri æqualia habuerint, & basin quoq; basi æqualē: angulum quoq; angulo sub æqualibus rectis lineis contentum æqualem habebunt.

THEON ex Zamb. *Sint bina triangula α β γ, δ ε ζ, duo latera α β, α γ duobus lateribus δ ε, δ ζ, æqualia habentia alterum alteri, hoc est α β ipsi δ ε & α γ ipsi δ ζ: habeantq; basin β γ basi ε ζ æqualē. Dico quod angulus β α γ: angulo ε δ ζ est æqualis. Cōgruente enim triangulo α β γ ipsi triangulo δ ε ζ. & posito quidem β signo, super ε signum & recta linea β γ super ε ζ: congruit quoq; signū γ ipsi ζ signo, quoniā β γ æqualis est ipsi ε ζ: Cōgruēte uero β γ ipsi ε ζ: congruūt quoq; & β α, α γ ipsis ε δ, δ ζ. si enim basis β γ basi ε ζ cōgruit, at β α, α γ latera, lateribus ε δ, δ ζ, nō congruent, sed different, sicut ε η, η ζ: constituentur super eadem recta linea duabus eisdem rectis lineis aliæ duæ rectæ lineæ æquales altera alteri, ad aliud & aliud signū ad easdem partes, eosdemq; fines possidentes. Non constituuntur aūt (per 7 propositionem.) Nō igitur congruente basi β γ basi ε ζ non cōgruunt quoque & β α, α γ. latera. ipsis ε δ, δ ζ lateribus. congruunt igitur. Quare & angulus β α γ, angulo ε δ ζ cōgruet: & eidem æqualis erit. Si bina igitur triangula duo latera duobus lateribus alterum alteri æqualia habuerint, basinq; basi æqualem: angulum quoq; angulo sub æqualibus rectis lineis contentum æqualem habebunt. quod erat ostendendum.*

Eucli. ex Camp. Propositio 9.

9 DAtum angulum: per æqualia secare.

CAMPANVS. Sit datus angulus quē oportet diuidere: angulus a b c. Lineas ipsum cōtinentes quæ sunt a b & b c, ponam æquales, per 3 pro propositionem, & producā li neam a c: super quā constituam triangulum æquilaterū, a d c per 1 propositionē, & protraham lineā b d. Dico quod ipsa diuidit datum angulū per æqualia. Intelligo duos triangulos a b d & c b d, duo latera a b & b d trianguli a b d sunt æqualia duobus lateribus c b et b d trianguli c b d: & basis a d basi c d. ergo per præcedentem



b tem